



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. I. Quomodo Deus cognoscat creaturas possibles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

dist. min. non potest dari respectu Dei motivum physicum. conc. min. intentionale. subd. strictissime tale. om. latè tale. neg. min. & conf. ad prob. dist. maj. motivum physicum respicit mobile. conc. maj. intentionale latè tale. neg. maj. & conc. min. neg. conf. Quidam nolunt admittere respectu DEI motivum strictè tale : quæstio est de nomine, de qua non multum litigabo; sed dicam, objectum formale, vel rationem obiectivam, & motivum strictè tale non esse idem. Gormaz tamen de DEO num. 321. admittit in DEO potentiam intentionaliter mobilem. Ad 1. conf. neg. maj. Etsi potentia sit determinatissima ad cognoscendum, tamen habet objectum formale; quia habet rationem assentiendi, vel cognoscendi objectum. Ad secund. conf. dist. maj. motivum physicum est causa cognitionis. conc. maj. intentionale. subd. strictè tale. om. latè tale. neg. ma. & concess. min. sub eadem distinctione conc. vel neg. conf.

316. Ob. 7. Objectum formale movet ut cognitum: sed DEUS non potest ita moveri: ergo. prob. min. Si objectum moveret ut cognitum, DEUS transiret ab una cognitione ad aliam, adeoque discurreret: hoc non admittitur: ergo. Resp. dist. maj. movet ut cognitum præviè per aliam præcedentem cognitionem. neg. maj. per hanc ipsam cognitionem, ad quam movet. conc. maj. & sic dist. min. neg. conf. ad prob. dist. maj. si moveret ut cognitum per aliquam præcedentem cognitionem. conc. maj. secus. neg. maj. & conc. min. neg. conf. Movere ut cognitum necessariò non plus dicit, quam objectum formale non movere, nisi quando cognoscitur; aliàs enim non potest esse ratio assensus: est autem objectum formale indifferens, ut cognoscatur, vel per actum prævium, vel tantum per ipsum actum, cuius est objectum formale. Ab hominibus quidem ordinariè censetur cognosci per apprehensionem præviam (quamvis de hoc dubitare liceat in ordine ad prima principia) at non ita à DEO.

317. Ob. 8. Objectum formale debet antecedere, vel comitari scientiam: sed creaturæ nec antecedunt, nec comitantur scientiam DEI: ergo non sunt objectum formale. Conf. SS. PP. Dionysius, August. Anselmus, negant, veritates creatas esse objectum formale cognitionis Divinæ: ergo. Resp. neg. maj. Sufficit, si sit ratio assensus: ad summum debet præcedere objectum physicè motivum, quod est causa cognitionis. Ad confir. dist. ant. negant esse objectum physicè, vel strictissime motivum. conc. ant. latius dictum motivum. neg. ant. & conf. Sed de textibus istorum SS. PP. iterum, quando de cognitione possibilem.

318. Ob. 9. Infinitæ scientiæ non est proportionatum objectum finitum: ergo nulla creatura est objectum proportionatum scientiæ Divinæ. Conf. Voluntas Divina, quia infinita, non movetur necessariò ab ullo objecto creato: ergo neque intellectus Divinus. Resp. dist. ant. non est proportionatum in ratione perfectionis. conc. ant. in ratione attingibilitatis. neg. ant. & conf. Certè intellectus Angeli spiritualis cognoscit etiam inferiora materialia, licet minus perfectæ: imò omnipotentia infinita producit effectus finitos. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Voluntas Divina, quia libera, potest moveri ab aliquo

creato, vel non: unde etiam creaturæ sunt objectum formale, saltem secundarium, respectu aliquus voluntatis Divinæ; quia de facto sunt aliqua ratio saltem secundaria eas volendi: sed hoc non necessariò; quia potuisset DEUS liberè eas non habere pro objecto formali: at intellectus Divinus est potentia necessaria, debetque cognoscere omnia possible, & omni modo: adeoque etiam creaturæ sunt necessariò aliqua ratio cognitionis Divinæ.

QUESTIO II.

De Scientia Simplicis Intelligentiæ.

ARTICULUS I.

Quomodo DEUS cognoscat creaturas posibles.

319. **N**otandum 1. aliam esse possibilitatem extrinsecam, aliam intrinsecam. Prior, quæ etiam activa, & causalis vocatur, est causa, seu potentia aliquid producendi; unde universalis extrinseca possibilitas rerum creaturarum omnium est omnipotentia DEI. Altera, quæ etiam passiva, & formalis dicitur, est aptitudo ad existendum: sive non repugnantia, aut consonantia prædicatorum. Hanc authores aliqui, etiam ex nostris, negant: sed admittunt longè plures, eamque adstruit Angelicus 1. part. quæst. 25. art. 3. in corp. ubi ait: Dicitur autem aliquid possibile, vel impossibile absolute ex habitudine terminorum: possibile quidem; quia prædicatum non repugnat subiecto &c. Et sane quando DEUS cognoscit aliquid producibile, non cognoscit tantum seipsum, vel omnipotentiam suam; hæc enim non est producibilis. Rursus omnipotentia habet relationem, seu respectum ad possible: ergo est ab ipsis distincta. Tandem quando dico: Alter mundus possibilis non existit: juxta omnes verum dico: at adversarii hanc propositionem difficillimè explicant; nam sensus esse non potest: Omnipotentia DEI non existit: alium autem sensum, quem assignabunt, nisi alter mundus possibilis sit aliquid distinctum ab omnipotentia? Sed hæc potius ex Metaphysica supponenda, quam probanda sunt.

320. Notandum 2. ex Gormaz de DEO num. 322. multipliciter aliquid posse cognosci, in se, in alio, propter aliud, ex alio, & ad modum alterius. Cognitionis rei in se est cognitio rei directæ, & immediata propter ipsius rei propriam veritatem. Cognitionis rei in alio est cognitio rei in medio habente connexionem, vel ordinem ad illam, quando nempe medium directè cognitum ratione suæ connexionis determinat ad simul cognoscendum mediatè terminum connexionis, saltem per modum obliqui; quia scilicet objectum plenè, & adæquatè cognosci non potest, quin cognoscatur simul aliud, e.g. si cognoscatur causa ut talis, cognoscitur etiam ejus effectus. Si hic ordo, vel connexio est metaphysica, dicitur res cognosci propter aliud: & comparari hæc cognitio aliquo modo potest cum visione speculi, quod quis intuendo simul videt objecta ab eo representata. Cognitionis rei ex alio est cognitio discursiva.

discursiva, quando scilicet unum infertur ex alio: qui discursus abest à cognitione rei in alio, de qua re fusè Martinez de DEO sciente contrav. 2. disp. 6. sect. 1. & 3. quod discrimen etiam tradit S. Thomas 1. part. quest. 14. art. 7. ad 2. dicens: DEUS non cognoscit per causam quasi prius cognitam effectus cognitos: sed eos cognoscit in causa; unde ejus cognitio est sine discursu. Advertit tamen Martinez cit. sect. 3. nostras cognitiones sapius esse rei ex alio; eoquod prius medium imperfectè cognoscimus, & nondum statim in eo omnia connexa videamus: postea progrediamur ad inferendas ex illo res alias. Cognitione rei ad modum alterius est illa, quæ objectum, in se attingibile, non attingit, nisi per similitudinem. Hæc cognitio est confusa, & imperfecta (saltem, nisi similitudo sit identitatis, seu perfectissima: quanquam etiam hoc casu ipsa hæcitas non distinguatur) sicque cognoscimus Angelum per modum juvenis.

Hic addendum, quod etiam insinuat Martinez loco modo citato, aliud esse cognoscere rem in alio, aliud ad modum alterius. Sic, licet DEUS in sua omnipotentia cognoscat effectus, non cognoscit per modum omnipotentia: & pariter, licet nos cognoscamus in vestigio pulveri impresso hominem, vel leonem, non apprehendimus hominem, vel leonem quasi vestigium: item, qui in vocabulo scripto Cæsar agnoscit Carolum VI. non eum apprehendit tanquam scripturam: sed in his casibus, ut rectè Martinez, in nobis species vestigii, aut scripturæ, propter connexionem, quam habent cum leone, vel Cæsare, tantum excitant species leonis, vel Cæsar, quas jam habemus aliunde de leone, vel Cæsare, quem deinde cognoscimus vi illarum specierum excitatarum: & si istæ sint claræ, & intuitive, leo, vel Cæsar clarè cognoscitur: si autem species sint tantum improprie, vel obscuræ, cognoscitur etiam obscure, vel abstractivè leo, aut Cæsar.

321. In DEO species quidem ita excitari non possunt (quia esset imperfectio magna) fit tamen aliquid suo modo æquivalens, quatenus scilicet cognitio vestigii ratione connexionis suæ, quam habet tanquam effectus cum causa, vel cognitio imaginis, aut scripturæ ratione connexionis, quam habet cum prototypo, vel objecto, saltem ex intentione efformantis imaginem, vel scripturam, (quam intentionem unà cum imagine, & scriptura DEUS cognoscit) determinat DEUM ad videndum prototypum, vel objectum tanquam objectum mediatum, vel indirectum, & quidem simul per eandem cognitionem, qua cognoscit ipsam imaginem, vel scripturam: non tamen determinat ad videndum eo modo imperfecto, quo imago imperfecta, vel scriptura illud representant. Et hæc etiam ratione DEUS dicitur in cognitionibus obscuris, vel universale facientibus objecta cognoscere, quin cognoscat obscure, aut universale faciat; nam omnia clarissimè, & distinctissimè cognoscit: sicut etiam DEUS in nostra cognitione representante Angelum per modum juvenis cognoscit Angelum, at non per modum juvenis. Certè species juvenis minus est similis Angelo, quàm species vestigii leoni, vel species scripturæ Cæsari: unde, si nos non cognoscimus Cæsarem per modum scripturæ &c. in illo casu, minus DEUS cognoscit Angelum per modum juvenis: præterquam, quod sic

DEUS objecta cognosceret abstractivè, quod videtur à nemine admitti: certè sine gravissima ratione non est admittendum. Sicut ergo DEUS in dicta cognitione non cognoscit Angelum per modum juvenis: ita neque in cognitionibus, facientibus universale, cognoscit objectum universaliter, seu faciendo universale; quia non cognoscit ad modum illarum cognitionum; nam illæ cognitiones, seu representationes universales à longè non sunt perfectè similes objectis, prout dantur à parte rei, & ferme se habent, ut vestigium respectu feræ. Banholzer de DEO sciente quest. 2. art. 1. num. 23. negat hanc cognitionem esse in alio, & hinc negat, DEUM cognoscere se in creaturis: sed negari non potest, DEUM suo modo ab his qualibuscunque mediis determinari ad cognoscenda objecta, & quidem sine discursu: & hæc est (nisi fiat questio de voce) cognitio in alio.

322. Dico 1. DEUS cognoscit omnes creaturas possibles in sua omnipotentia, vel in se ipso. ita auctores communissimè. Prob. Inprimis, quod DEUS omnes creaturas possibles cognoscat, habetur ex n. 276. & quia absurdum esset dicere, DEUM aliquid ignorare, quod facere potest. Quod autem videat possibilia creata in omnipotentia, sic prob. Omnipotentia est medium habens sufficientem connexionem cum possibilibus; quia est causa omnium, & eminenter omnia continet: ergo DEUS eam comprehendendo cognoscit possibilia tanquam terminos, cum quibus illa est connexa, & ad quos se extendit. Confir. ex SS. PP. qui passim hoc dicunt, & præsertim S. Dionysius de Divinis nominibus cap. 7. ubi sic habet. Ex se, & in se secundum causam omnium notionem, & scientiam, atque substantiam anticipat, & ante comprehendit: & paulò post: Se ipsam itaque Divina Sapientia noscens omnia scit, materialia sine materia, & individua, quæ divisionem admittunt, & unice plurima. Similes textus vide plures apud Aldrete disp. 17. sect. 1. n. 12. qui tamen videtur usus alia versione S. Dionysii: nos usi sumus Ambrosio Florentino.

Per hanc autem cognitionem DEUS jam attingit ipsa possibilia secundum esse proprium contradistinctum ab essentia DEI; est enim intelligibile, quod DEUS affirmer, se habere potentiam producendi leonem à se distinctum, & non attingat essentiam leonis distinctam. Cognoscit etiam per hanc cognitionem possibilia clarissimè, & comprehensive; non enim potest in DEO dari cognitio obscura, aut non comprehensiva objecti pro eo signo cognoscibilis: sicut tamen potest dari in creaturis, quæ aliquid in alio obscure tantum attingunt. Attamen hæc cognitio non est cognitio possibilium in se ipsis; quia per hanc intelligitur cognitio immediatè directà ad possibilia propter propriam ipsorum veritatem: & questio est inter auctores, an præter superiorem cognitionem possibilium in omnipotentia admitti debeat cognitio alia, non quidem realiter, aut virtualiter, sed tamen formaliter distincta possibilium in se ipsis, pro qua resolvenda.

323. Dico 2. DEUS cognoscit etiam possibilia in seipsis. ita Lugo, Martinon, Erize, Quiros, Gormaz, Arriaga, Aldrete, Moncaus, Comptonus, & alii, Recentiores præsertim, mul-

ti. Prob. Intellectus Divinus est summè cognoscitivus: ergo debet cognoscere non tantum omne possibile, sed etiam omni modo, quo cognosci potest: atqui possibilia sunt etiam cognoscibilia in se ipsis: ergo, ant. est certum, conf. prob. ex eo, quod intellectui summè cognoscitivo debeat semper attribui ea scientia, quæ est perfectior, aut perfectio simpliciter simplex: atqui est perfectio simpliciter simplex cognoscere rem omni modo, quo potest cognosci: ergo. Insuper perfectiorem habet scientiam Theologus, vel Philosophus, qui suam assertionem potest demonstrare pluribus modis, quàm, qui tantum uno; hic enim est ignorans, si aliquas rationes nesciat: ergo etiam scientia DEI est perfectior, si possibilia omni modo, quo cognosci possunt, cognoscat. Confirm. ex S. Thoma, qui 1. parte quest. 14. art. 10. ad 4. ait. *Cognoscere aliquid per aliud tantum est imperfectæ cognitionis, si illud sit cognoscibile per se.*

Quod autem possibilia sint in se ipsis cognoscibilia, habetur ex eo, quod, ut satis communiter admittitur, Angeli multa possibilia in se ipsis cognoscant: cujus ratio ulterior est; quia etiam possibilia habent aliquam veritatem affirmabilem, non minùs, ac futura contingentia, quæ tamen juxta S. Thomam (ut infra ostendemus) & alios, præsertim nostros, à DEO cognoscuntur in se ipsis. Et certè contingentia conditionatè futura non possunt infalibilibiter in ullis causis, nec etiam à DEO in seipso cognosci. Confirm. ex Aldrete *disp. 18. sect. 2. n. 5.* DEUS utpote summè intellectivus non indiget aliqua reflexione, aut medio, ut attingat objectum in se attingibile: ergo mirum esset, si creaturam posset indirectè quidem in omnipotentia, non autem directè in se ipsa, cognoscere.

324. Nec dicas, cognitionem possibilibum in seipsis esse superfluum; cum DEUS jam omnia comprehensive cognoscat in omnipotentia; nam licet cognoscat omnia, non cognoscit omni modo; cum tamen ei utpote infinite scienti necesse sit, rem cognoscere omni modo. Sic adversarii (ut bene arguit Aldrete) admittunt, quòd, quamvis DEUS Pater omnia videat in Verbo comprehensive, tamen etiam ea videat in omnipotentia. Si ergo non est superflua cognitio ejusdem in alio medio, neque erit superflua cognitio ejusdem alio modo. Noto sub finem, juxta nos hanc cognitionem creaturarum in seipsis esse posteriorem cognitione earundem in essentia, vel omnipotentia prius visa, & cognita; nam, ut rectè Martinez docet *controv. 2. disp. 7. sect. 2.* cognitio possibilibum in seipsis præsupponit, si non includit, essentialiter cognitionem eorundem in essentia; utique enim DEUS prius ratione cognoscit seipsum tanquam objectum primum, & in se creaturas, antequam ipsas cognoscat in se ipsis.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

325. **O**B. 1. contra 1. conclus. Essentia, vel omnipotentia Divina non est ejusdem rationis cum

creaturis possibilibus: ergo non potest esse medium, in quo istæ videantur. Confir. 1. Creaturæ non possunt videri in DEO, nisi eo modo, quo sunt in DEO: sed non sunt in DEO formaliter: ergo non possunt in eo formaliter videri. Conf. 2. DEUS prius deberet suam omnipotentiam cognoscere, & dein ex occasione illius cognitionis progredi ad cognitionem possibilibum in illa: sed sic discurreret: ergo. Resp. neg. conf. Verbum Divinum etiam non est ejusdem rationis cum creaturis, & tamen cognoscuntur istæ in illo: & idem contingit in quavis causa æquivoca; non igitur requiritur similitudo, sed tantum connexio. Ad 1. confir. neg. ma. modò enim creaturæ sint in DEO eminenter, vel causaliter, possunt jam eorum formales perfectiones eminenter contentæ, adeoque ipsæmet formaliter cognosci; quia hæc ipsa eminentialis continentia est ratio ipsas cognoscendi, vel affirmandi. Ad 2. confir. neg. maj. quia unico intuitu cognoscit, & se, & creaturas. Vide *n. 281. § 320.*

326. Dices. Essentia DEI, vel omnipotentia non connectitur cum possibilibus: ergo ista non possunt ratione connexionis in illa cognosci. Confir. 1. Scientia DEI debet esse prior ad omnipotentiam: atqui juxta nos ipsa tanquam objectum, in quo viderentur possibilia, esset prior ad scientiam: ergo. Confir. 2. Licet Angelus comprehendat seipsum, tamen non cognoscit omnes effectus sibi possibiles, e.g. cognitiones syncategorematicè infinitas: ergo, licet DEUS comprehendat suam omnipotentiam, non tamen cognoscit omnia possibilia. Resp. dist. ant. omnipotentia non connectitur connexionem dependentiæ, vel indigentia, vi cujus aliquid accipiat à possibilibus, conc. ant. non connectitur connexionem infinitæ perfectionis, vi cujus possibilibus possit aliquid dare, neg. ant. & conf. Imò hæc connexio est summa DEI perfectio. Est tamen DEUS ens summè absolutum, & independens; quia non indiget actuali existentia ullius entitatis à se distinctæ. Quòd autem omnipotentia DEI debeat dici magis necessaria, non impedit hanc connexionem; nam cum possibilitas rerum, cum qua stio modo omnipotentia connexa est, etiam sit necessaria, & indefectibilis, possunt jam inter se connecti.

Ad 1. confir. dist. maj. Scientia directiva, & causativa debet prior esse ad omnipotentiam operantem, conc. maj. scientia quævis debet esse prior ad omnipotentiam ipsam, neg. maj. & dist. sic. min. neg. conf. DEUS, propriè loquendo, strictè non est omnipotens; quia scit, se esse omnipotentem; sed potius scit se esse omnipotentem; quia est omnipotens: quamvis omnipotentia non operetur, nisi prius sciat DEUS, rem esse possibilem &c. Ad 2. confir. neg. conf. Angelus non est adæquata causa suorum actuum, sed indiget concursu Divino. Nec dicas, DEUM etiam non esse causam adæquatam actuum nostrorum vitalium; nam, licet non sit formaliter, est tamen eminenter, quatenus se solo potest adæquatè producere causam productivam illorum actuum, scilicet nos ipsos. At Angelus non est eminenter causa adæquata suorum effectuum; nec enim potest producere seipsum.

327. **O**B. 2. contra secundam conclusionem. Si DEUS cognosceret possibilia in se ipsis, cogni-